

Franckesche Stiftungen zu Halle

Integritatem Textvs Hebraici Typis Vvlgati Locorum Gen. III. 8. Cap. XXXV. 22. Et I Reg. XIII. 20. Ab Angli Recentioris Dvbitationibvs Vindicat

Scheibel, Johann Ephraim

Halae, [1757?]

VD18 13457276

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:ha33-1-216523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:ha33-1-216523)



90 A 21

B 15

INTEGRITATEM
TEXTVS HEBRAICI TYPIS VVLGATI
LOCORVM

GEN. III. 8. CAP. XXXV. 22. ET I REG. XIII. 20.
AB ANGLI RECENTIORIS DVBITATIONIBVS
VINDICAT

ATQVE
V I R O

SVMME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMO
M. IOHANNI DAVIDI
RASCHKIO

PASTORI AD AEDEM S. MARIAE MAGDALENAE
VIGILANTISSIMO MERITISSIMO
SACRI IVDICII CIVITATIS VRATISLAVIENSIS ADSESSORI

LONGE GRAVISSIMO
FAVTORI

SVMMOPERE DEVENERANDO COLENDOQVE
IVBILAEVM POST QVINQVAGINTA ANNORVM MINISTERIVM
CELEBRANDVM

A. D. XXIIII. IVN. A. R. S. CIO IO CCLVII.

EX INTIMO ANIMI AFFECTV

GRATVLATVR

CVLTOR PERPETVVS

IOHANNES EPHRAIM SCHEIBELIVS
VRATISLAVIENSIS.

HALAE
LITTERIS CVRTIANIS.

90 A 21

WAISENHANS
BIBLIOTHEK



Ego vero, qua possem aliquando animi submissio-
ne et pietate, TIBI,

VIR SUMME VENERABILIS!

me dare ante oculos hominum deuinctissimum,
mihi nondum hucusque satisfeci. At enim vero, quum ille
ipse annus et euangelico in vrbe patria coetui et mihi etiam
desideratissimus atque exoptatissimus inciderit, isque ad iam
octoginta, quos felices numerasti, SENEX VENERABILIS!
aetatis TVAE, quinquagesimus ministerii acti; id, quantum
beneficium, quamque singularis erga TE summi Numinis sic
prouidentia, quantumque nobis omnibus laetitiarum, eloqui
vix ac ne vix quidem possum. Vigēs, et sic semper vīgīstī,
viribus exactissimis, saluus in praesenti, laetus, quod mihi
scio, atque incolumis. Quarum itaque rerum bene gesta-
rum beneficio factum est, vt de doctrina sanctiori mereri ma-
ximae TIBI curae fuerit, eoque nomen immortaliter animis
infixum praeberis. Namque tot hominum millia per oris
TVI dulcissimam facundiam atque doctissimam et adhuc do-
centur, et meliores redduntur. Quo festiuo tempore nactus
sum occasionem commodissimam cum aliis gaudia mea con-

A 2

testandi,

testandi, atque TIBI, theologo consummatissimo, deque me
 meritissimo, offerendi aliquid scripti instar. Inscribo TIBI,
 VIR SUMME VENERABILIS! pauculas istas, qualescumque
 etiam sint, paginas aliqua in TE fiducia, minime vero metu,
 qui ipse diuinarum rerum ambitum tam multis abhinc annis
 solidius et rectius tenes, in sacrarum litterarum, codicis in
 primis Hebraei penetralia maximo studio inquiris, et, vt
 dicam, quod debeo, omnia ad amussim perquiris. Attamen
 labor, si quem adpellare liceat, irritus foret atque tenebris
 pressus, nisi, quae modo summa est cogitationum mearum,
 votis illustretur iustissimis. Quapropter TIBI, VIR SUMME
 VENERABILIS! IUBILAEVM MINISTERIALE, felix quod
 sit faustumque, gratulor. Deus optimus maximus reddat TE
 tranquillae senectutis, meritis TVIS quam dignissimae, a mor-
 borum variis periculis et afflictionibus vacuae participem,
 vt totus patriae coetus TE inter theologos florentissimos,
 quamdiu votis pro TVA salute rectissime nuncupatis an-
 norum reliquiae responsurae sunt, possit cum summa reue-
 rentia prosequi. Ceterum faxit summum Numen, vt etiam
 ego TE fautorem mihi fauentissimum post multos adhuc
 annos venerari, quemque prae omnibus de me mereris,
 honore comitari queam. Ita vale, VIR SUMME VENE-
 RABILIS! mihique, quod ante omnia abs TE peto, et
 vehementer etiam atque etiam obtestor, in posterum faueas.
 Dab. Halae d. VIIII. Iul. A. R. S. C I O I O C C L V I I.



§. I. *Quod non potest in critica auti*

Interpretibus legum a superioribus latarum suam debere curam

Qui paullo diligentius secum expendunt, quam necessarium sit, interpretes legum a superioribus latarum suam debere curam acriter intendere, ut illarum scilicet verba ne posthabeantur, sed, etiam si ab animis, longe diuersa cogitantibus, ob sensum iis insitum saepissime adducantur in dubitationem, scriptae tamen literae dignitas conseruetur, iure maximis extollunt laudibus, quotquot sua in hac grauiori causa multa cum circumspectione et reuerentia versantur. Et vero si temeritatem contraria agentis prudens legislator indigne ferre neuiquam praetermittat: mirumne cuique videbitur, quando experientia quotidiana doctus, ab ipsis Antiscripturariis si secesserit, in eam obseruat eruditos deuenisse discordiam, ut non de diuinarum solummodo legum sensu, verum earundem etiam, quae vocatur, integritate inter se dissideant, atque in hoc negotio sacrae critices, eius tamen sanioris regulas multoties leuiter curent. Quapropter, quum hanc ingressi viam, variantibus textus sacri codicis lectionibus, ex quarum laboriosa collectione omnes suam traxere disceptationes originem, in primis N. T. immorati nostra aetate fuerint plurimi, ac etiam nunc immorari ne quidem desinant: tandem, quas pariter olim audacius ipsius V. T. integritati LVD. CAPPELLVS in Critica sua sacra nimis operose cum adseculis attulerat, dubitationibus subnixus BENIAMIN KENNICOTVS V. Celeb. Anglice scripto libro, quem Faciem textus Hebraici V. T. typis vulgati vocat, Oxoniae A. 1753. edito, magnam est inter recentissimos sacrae critices scriptores adsecutus celebritatem. Liber iste modo nominatus, isque sollester ac ingeniose conscriptus, dignissimus erat, qui a GVILIELMO ABRAHAMO TELLERO V. Clariss. lauintate donatus Lipsiae abhinc vno, et quod excurrit, anno ad commodiorem eruditorum usum peruulgaretur. Quod si quis scriptum maiori cum diligentia perlegit, nihil est dubitandum, quin variantium textus V. T. Hebraici lectionum frequentiam esse causam perspiciat clarissime, cur haec quidem adsertorum ab Anglo supra laudato, qua sua in sententia perseueranter etiam perstat, vis sit vltima, ut corruptum V. T. qui in omnium iam manibus est, codicem esse, atque non tantummodo ex librorum scriptorum, pariter ac versionum comparatione, sed etiam suo

ipſius arbitrio in integrum debere reſtitui probabilem in modum doceat. Quum autem aliquis in hoc magni profeſſo momenti diſcrimine conſtitutus, rem obiter tangendo, vel in KENNICOTI partes, vel in eorum, qui, ſingulas quod ſpectat literas, perfectiſſimam impreſſi codicis integritatem profitentur, abripi eo facilius poſſet; praeclarum itaque laborem obeunt et ſalubrem, qui regulas generatim variantium ſacri textus lectionum ambitum in ſe continentes poſuere. Eminent autem in ea ipſa re inter omnes BAVMGARTENII, proh dolor! cito citius eccleſiae euangelicae, orbi, qua patet, litterato, Almae noſtrae Fridericianae erepti, ſententia, quam dixit in dem Vnterricht von der Auslegung der heiligen Schrift §. 143. cui euſdem aliam adiungo digniſſimam, quae ex Examine var. lect. in epistoſa Iacobi obuiarum §. LXII. cogitato repetatur. Ita vero: *Nihil verendum eſt, inquit, integritati certae et auctoritati indubiae codicis ſacri ab hoc examine vel rigoroſiſſimo, dummodo recte, reuerenter et verecunde, vt par eſt, iſtituatur; neque aliis illa effici aut vindicari poteſt argumentis et rationibus aliunde petitis.* Quacum coniungi debet b. IOH. HENR. MICHAELIS Cap. III. integrum Praefationis ad hic ab eo editum bibliorum Hebraicorum codicem praefantiſſimum. Neque vero poſtea, quam KENNICOTI liber innotuerat eruditis, multum temporis effluxit, quum praeter commentariorum ſuper nouos libros auctores, quos inter primae tribuendae laudes b. BAVMGARTENIO in den Nachrichten von merkwürdigen Büchern P. X. a pag. 32. atque IOH. DAV. MICHAELIS V. longe Celeb. in Relat. Gotting. Faſc. VIII. a pag. 1. KENNICOTI opinionum pondus, poſt Angli FOWLERI COMINGS piis magis, quam doctis Vindiciis textus Hebraici typis vulgati, quae Oxoniae A. 1753. prodierunt, a laudato MICHAELIS earumdem Relat. Faſc. XI. a pag. 86. diiudicatis, examinarunt inter noſtrates veritatem idem KENNICOTIANI libri, interpreſ TELLERVS, poſt ab eo in Praefatione ad ſuam verſionem dicta, generatim in Diſp. de iudicio ſuper var. lect. cod. Hebr. diuini recte faciendo, Lipſiae nuper habita, et ante duos fere annos ſpeciatiſſ. IOH. HERM. GERCKEN in Exam. ingenioſae recentior. Angli translationis verbor. Hof. VI. comm. 5. Lipſiae edita. Ergo quum, vt verbis MICHAELIS V. longe Celeb. Faſc. VIII. p. 29. vtar, nemini non diſpliceat in KENNICOTO, *quod*
haud

haud raro nodos in vulgari lectione quaevisse potius, quam inuenisse videtur, ubi nouae lectioni, licet paucorum codicum suffragio munitae, studet: bene propterea de tentato a me locorum Gen. III. 8. XXXV. 22. et 1 Reg. XIII. 20. propositae a KENNICOTO emendationis examine spero, fore, ut quilibet omnem hanc eruditionem penitus perspicens suam de iuuenilis meae scriptionis genere sit aequae et humaniter dicturus sententiam. Tantum autem abest, ut multum et diu super integritate textus Hebraici disputata repetam, ut potius digressionis a proposito scopo taedium effugiens primi loci considerationem adgrediar.

§. II.

In omnibus impressis codicibus comma 8. Gen. III. hoc est, idque nostrum primum: ויאמר קין אל הכל אחיו יהי בהרוחם בשרה ויאמר קין אל הכל אחיו ויהרגהו: Totus autem est KENNICOTVS ea opinione, ut praesertim huius versus *defectum et clarissime imperfectum esse sensum*, a pag. 332 ad 337. usque, nec non pag. 540. Vers. TELLER. magno ex argumentorum cumulo probatum irret, qui citra dubium secutus est cum aliis LEVSDENIUM in Philol. Hebr. p. 267. *nul- lum*, aientem, *se posse horum verborum sensum cognoscere*. Plurimi quidem eo tempore, a quo sacrae critices studium pene floruit, et maximos viros habuit cultores, ante KENNICOTVM fuere, qui pari modo in eiusmodi dubitationum campum de nostri versiculi integritate abierunt; at quos a doctissimis criticis iam dudum refutatos, in primis ab AVG. PFEIFFERO in Dub. vex. Cent. I. Loc. 13. p. 22. seq. et in Decade Select. Exercit. Sac. Exerc. I. de colloquio Caini et Abelis a pag. 513. Oper. philol. Edit. Ultrai. magno numero adductos, non nescimus. Est interea prima opinionum Angli Clarissimi, quae nascitur ex priori versus hemistichio: ויאמר קין אל הכל אחיו ubi adfirmare conatur, quod אמר אל male transferatur per: *colloqui cum alio*, sed proprie hoc ipsum exprimitur per דבר עם, atque pariter necesse sit, ut, quod argumentum addi a nobis posset, hanc etiam propter phrasin quam saepissime in sacro textu obuiam, *re ipsa admoniti verba*, quae Cain erat ad Abelem locutus, *expectemus*. Quae in genere si firmo atque stabili gauderent fundamento, nulla ex inde consecuturis posset argumentis suspicio moneri.

ueri. At enim vero, si quando in communi vita, quum aliquis alterum verba fecisse nos certiores reddiderit, non verba eius nouarum rerum cupidi semper postulemus, ideoque, ad quod KENNICOTVS p. 333. prouocauit, iudicium sensus vulgaris suo valore saepiuscule destituatur: certe adducimur, vt credamus, in locis euoluendis eum non satis adhibuisse circumspectionis, quae ipsam phrasin אל אמר sine adiuncto sermone exhibent, quamuis sint clarissima. Quorum alter est Exod. XVIII. 25. auctoris eiusdem, quem ob vnam eandemque causam, vt nostri commatis integritatem vindicaret, adduxit olim summus SAL. GLASSIVS in Philol. Sacr. L.I. Tract. I. P.II. sect. II. Locī istius posterius hemistichium ויאמר אלהים sine Mosis adpositis verbis ita expressum est, vt exinde sit colligendum, aut Mosē cum Israelitico populo de officiis etiam nunc praestandis fuisse locutum, aut, quod cum nexu magis conuenit, quodque et GLASSIVS l.c. docet, Mosē populo iussū Dei vs. 21. et 24. lectā retulisse. Alter vero est 2Sam. XIII. 4. in quo bis inuenitur vocabulum והאמר, prius cum אל coniunctum, quam tamen phrasin sermo nullus post sequitur, posterius contra vnice cum proxime adiecta sapientis foeminae allocutione adhibitum observatur. Sicuti vērō in lingua Hebraica vocis אמר, ita etiam in Graeca habetur vocis επειν promiscua constructio. Namque ipsi οι LXX. qui nostrum locum sequentem in modum vertunt: και ειπε Κειν προς Αβελ τον αδελφον αυτου, atque ceu paraphrasin Caini verba: διελαθμεν εις το πεδιον, addiderunt, ita sunt Exod. XVIII. comma 25: και ειπεν αυτοις, sine vllo Mosis verbulo interpretati. Longius autem ab Hebraico textu aberrant, quando 2Sam. XIII. 4. haec habent: και εισηλθεν η γυνη η θεκαωτις προς τον βασιλεα λ. και ειπε λ. Similis exstat autem illis in N. F. locutio Ioh. XVIII. 16. vbi verba ita sonant: εξηλθεν ουν ο μαθητης ο αιλος, ος ην γνωστος τω αρχιερεϊ, και ειπε τη θυρωρω, κ. ε. τ. Π. nisi quis forte ex verbo επειν cum προς aut nude cum Dativō constructo praeter urgentem necessitatē in scirpo velit, vt dicitur, nodum quaerere. Eadem prorsus est interpretis Syri conditio, qui verbum idem אמן in loco Gen. cit. cum ∆ connectit ita: אמן אסחא אסכמא בלן אמן∆ adposito etiamsi sermone Caini, sed Exod XVIII. 25. hunc in modum: אמן אסחא אסכמא∆ atque

Ioh.

Ioh. XVIII. comma 16. ita transfert : סֵם לְנִי לְנִי
 Possset hic quidem, idque tamen remotius, a nobis adduci nostrae con-
 ueniens locutio וְאָמַר לוֹ 2 Paralip. XXXII. 24. itemque cum GLASSIO
 l.c. Pl. III. 5. et CXXXVIII. 20. ubi אָמַר absolute pro דָּבַר usurpatur.
 Interea tamen, quum erga KENNICOTVM liberaliores esse nos deceat,
 sufficiat, tutius ex ante dictis habere occasionem conclusionem forman-
 di, quod in textu Hebraico ea ipsa phrasis אָמַר אֵל non solum, sed,
 quod quidem rem non probat, illustrare tamen poterit, in Graecorum
ἐπὶ τῷ ἑαυτοῦ πρὸς, et in Syrorum idiomate אָמַר sequente Δ adhibea-
 tur sine et cum adiectis, qui sequi viderentur, sermonibus, quandoqui-
 dem aliquis animum ad plane diuersam aliarum linguarum conditionem
 non inficiens eos sequi cupierit. Quae licet prolata super huius com-
 matis prima vindicatione, vna cum longe Cel. MICHAELIS, qui prior
 debebat nominari, addita in Relat. Fasc. VIII. p. 41. sententia, quod
 vocabulum אָמַר, Arabum vsu suadente, possit exponi: *durus fuit*, TEL-
 LERO V. Clariss. in Diff. sua a p. 46. displicuerint; eo aequiori recipia-
 mus animo KENNICOTI dubia, atque verbum illud אָמַר neque *nar-*
rationis, neque *colloquii* ideam in se habere lubenter largiamur, ideoque
 interpretemur loci huius textum Hebraicum ad verbum: *dixit autem*
Cain Abeli fratri suo. At enim, qui omnem Mosaicae historiae com-
 plexionem studiosius peruestigauerit, non sine coniectura probabilem,
 cur Moses, diuino ex instinctu pulsus, Caini verba reticuerit lectoribus,
 causam facile reperiet, adeo, vt opinetur, maluisse scriptorem verba
 Caini iracundiae igne exardentis, facie contabescente violentam sui bo-
 ni, et pii, et innocentis fratris mortem meditantis, seruituti dominan-
 tis peccati sese mancipientis, primi inter mortales homicidae, scelera-
 tissimasque cogitationes alentis, silentio potissimum praeterire, quam pe-
 ctora hominum, lapsus protoplastorum tristissimos effectus funeste do-
 lentium, vi doloris ex prolixiore huius homicidii descriptione oriundi
 percutere. Quo ex adserto simplex locutionis אָמַר אֵל expositio: *Ex-*
tulit vocem suam contra, propemodum fluere, quemadmodum in eo-
 dem Cap. XIII. 2 Sam. vi. 6. sapiens illa foemina filios in agro rixatos,
 irae etiam igne accensos, vnum autem occidisse Caini instar alterum,
 hoc loco sine certaminis acerbi recensioe commemorat. Numinis au-
 tem omniscii erat vnice cognoscere, fore quondam Iudaicos interpre-

tes nimis, ac decebat, curiosos de Caini cum Abele colloquio, qui scilicet de eodem quidem audacter, propria nixi auctoritate, absque varia, de quibus GLASSIUS l. c. PFEIFFERVS in Exerc. allegata, atque auctores der allgemeinen Welthistorie T. I. p. 159. videri possunt, excogitarunt.

§. III.

Equidem supplendus ille sermo Caini: *Eamus in agrum*, quem versiones plurimae habent, esset tolerabilior, quam ii, quos ab auctoribus modo laudatis adductos inuenimus; nec esset profecto alienus a stilo sacrae scripturae historico, quo nimirum facta quaedam cum relatione ad mox ante dicta iisdem fere verbis repeti solent, idque dicendi genus *historicam Anadiplosin* vocare lubet, persaepe occurrens Gen. I. 3. et 6. seq. XXVII. 26. seq. et alibi. Verum enim vero illa ipsa KENNICOTTI diligentia, nimium ad textum prouide corrigendum tentata, contrariam eundum esse in partem, suadet. Etenim aequus, qualem esse eiusmodi in re quisque vult, talem se variantium lectionum aestimatorem in suscepta correctione Hebraici KENNICOTTIANA praeberet, vt, si inter tot scriptos Pentateuchos, omnibus vero paginis Viri Doctissimi industriae familiarissimos, quorum quintus, sextus, octauus et vndecimus bonae probataeque videntur esse notae, vnicus ab illo dumtaxat inuentus fuerit, cui inserta legeretur ista propositio, laudis ipsi nihil sit detractus. Crescit propterea eo magis, quum ne vnus quidem Hebraice scripti libri sic se habentis exemplum superaddere potuerat, scrupulus, nobis de huiusmodi propositionis auctoritate iniectus, quo minus ex solis librorum sacrorum versionibus dubiam quamdam firmari posse lectionem docent b. BAUMGARTENIUS im Vnterr. von Auslegung der heil. Schrift §. 143. n. 3. et Celeb. TELLERVS in Diss. cit. §. 10. Fac itaque composuerint Caini sermonem aut ampliorem, aut breuiorem, et textus maxime Samarit. versiones των LXX. simul cum Samarit. paraphrasis Pseudo-JONATHANIS, et versio Syr. nec non Targum Hierosol. idque aetatis dubiae, et vulgata versio: non est, cur posset neminem non commouere, vt sibi ipsi subinde pateat, in vetustissimis libris Hebraicis ante C. N. hanc allocutionem inuentam esse, quum, quae grauior videri poterat, textus Samarit. atque versionis των LXX. auctoritas, a viris doctissimis vbique locorum explosa fuerit. Ad haec vt faciles referamus

feramus paucissima, WALTONVS in Proleg. XII. §. 17. *nullam sane auctoritatem aliam textui Samarit. quam aliis antiquis exemplaribus concedit, quae iniuria temporum vel scribarum negligentia naevos et maculas quasdam contrahere poterant.* Ipsa vero versio ^{TOW} LXX. quae ad nostra usque tempora peruenit, a LEVSDENIO tamen l.c. p. 185. ad nostrum locum prouocante, cum texto Samarit. probe conuenire credita, extutissimo S. V. SEMLERI V. Litteratissimi Celebratissimique iudicio in Diss. de Auctoritate archaeologiae ad Exerc. Flau. Lips. I. §. VII. *Iudaicis explicationibus adaucta est atque expleta.* Verum versio ONKELOSI Chaldaica purior, a KENNICOTO licet pro nihilo propemodum putetur, nobis tamen multo praestantius porrigit argumentum, ac omnes reliquae paraphraes: siquidem ONKELOS et Hebr. et Chald. linguae, sicuti ipsi Iudaei de eo testimonium perhibent, scientissimus, maxime ad verbum cum Pentateucho hunc etiam locum ita transtulit, ut non iidem solum accentus versionis eius textui fere respondeant, sed Caini etiam verbis nullo umquam in volumine eiusmodi superfluis additamentis consperso, a se inuentis omnimode suam versionem premere noluerit. Nisi Arabica R. SAADIAE interpretatio reliquis sit ab Anglo recensitis recentior, non minus inde argumenti peteremus pro commatis nostri Hebraici integritate. Fateri enim KENNICOTVS p. 335. poterat, translata eam fuisse adcurate ab Hebraico quodam exemplo, quod codicibus omnibus adhuc superstitis scitur antiquius, in quo tamen interpres hanc *omissionem*, quae V. Clar. placuit, non inuenerat. Harum igitur versionum discordium comparatio, cur sequi KENNICOTVM nos iubet, textui Hebr. interici debere comma, quod ad vnum omnes codices Hebr. concordantes respuunt?

§. III.

Tot porro editorum librorum discrimina circa *spatium in huius versiculi medio vacuum*, et *interpositum ipsi circellum*, atque *notam פסקא במקצת פסוקא* in *marginē collocatam*, Viro Doctiss. quocum nobis res est, egregie placere videntur. Quae si suorum ope codicum reiecta essent ab eo, multum lucraretur Masorae praesens conditio, emendatione, quam nemo cum ipso negare poterit, certissime digna. Bene vero se critica sacra haberet, si in eo laborare doctissimi viri vellent,

vt ex scriptis impressisque codicibus inter se comparatis restaurarent Masoram veram, et omnibus numeris absolutam: qua de necessitate, et hucusque in cassum tentata restitutione post dicta a b. I. H. MICHAELIS l. c. per Cap. III. integrum, agit longe Celeb. Litteratissimusque IOH. SIMONIS in Introd. in lingu. Hebr. Sect. XII. §. 18. Magnum enim tam textuum Hebr. impressorum, quam auctorum etiam, qui haecce loca *Piskatorum* nomine venientia connumerarunt, dissensum esse, nemo ibit infitias, qui cum codicibus euoluerit BVXTORFII Comment. Masor. p. 265. seq. ex quo sua sumserunt WALTONVS Proleg. VIII. §. 2. et PFEIFFERVS in Exerc. de Masora Oper. philolog. p. 896. LEVSDENII Philol. Hebr. p. 267. seq. DAN. WEIMARI, b. I. H. MICHAELIS, atque longe Cel. I. D. MICHAELIS Hebraicorum accentuum doctrinas. Largiamur KENNICOTO pro offensa eius in Iudaeos eorumque ex Christianis secutores voluntate, Masoram, quam iam habemus, sibi contradicere; modo salua maneat textus sacri per omnia et ab omni alienae manus corruptione immunitas.

Primo loco, vt ordine procedamus, de *spatio vacuo* meditamur. Ad quod si minus KENNICOTVS prouocasset, magis sibi consulisset, si quid iudicare possumus. In editione enim haud vulgari, vti quidem p. 328. testatur, certe praestantissima, a b. I. H. MICHAELIS immenso labore hic loci typis exscribi curata, studiosissimus ille var. lect. collector, in hoc magno olim opere comprehensus, ex laboriosissima tot codicum collatione adductus est, vt seruata continua vocum in textu loci nostri positione nullum spatium inprimi cogitauerit. Neque illud, quod amant plurimi *Hiatus* interpretari, in isto versiculo adparere debere, BVXTORFIVS l. c. p. 266. atque LEVSDENIVS l. c. p. 267. sunt ea de re auctores. A nobis vero si ille locus cum KENNICOTO pro vero *piskato* possit venditari, cuius in medio scilicet sit spatium, circellus, et in margine nota: omnium nemo erit, qui vmquam cum admissa etiam spatii vacui vexatissimi natura coniungere *abruptionis* notionem voluerit. Etenim verissimum est, ita cogitantem ex communi hominum loquendi vsu, a quo recedere nemini, ab omnibus intelligi cupienti, fas est atque licitum, erroris argui. Quando enim *spatii vacui* mentio fieri solet, subintelligitur *distantia*

termi-

terminorum, quos inter nihil inuenitur: unde demum defectus oritur, si inter ipsos terminos, quod adesse necessarium erat, abest. Qua in re ne longiores esse videamur, superest, ut hanc nostram ob causam, atque §. II. dicta, abruptio sensus itemque defectus a comm. 8. Gen. III. exsulet. Nihil ergo KENNICOTVS ex sua spatii vacui natura, ad quam non raro prouocat, lucratur: et hinc patet, nullum defectum, nullam etiam abruptionem sensus indicare voluisse Iudaeos, quando spatium vacuum versui interposuerunt.

Decet autem nos aequi bonique consulere, quam protulit KENNICOTVS, argumentationem p. 332. quando fatetur, nullum circellum medio huius versus editioni bibl. Hebr. ab EVERH. VAN DER HOOCHT curatorum, esse interpositum; de eo tamen non vult non idem concludere, quod de aliis XXVIII. locis, qui spatium, circellum atque notam in margine habent, (enumerantur autem in Praef. ad hanc editionem §. 36. loca tantum XXVIII. omisso Ierem. XXXVIII. 28.) quae secum aliquo modo pugnant. Interim, si existare circellum, ut in bibl. polygl. Londin. factum est, concedamus cum nota ad marginem posita; non est tamen huius ad illum relatio, quasi hac gauderet significatione nota: *כספא באמצע פסוק* *Circellus*, *כספא dictus*, *est in medio versus*, veluti visum est WEIMARO in Doctr. accent. Hebr. p. 104. Longius enim hoc a Masoretharum consuetudine esset abalienatum, quibus vsitatum erat, nullam fere criticam notam margini textus superaddere, nisi cuius relationem in ipso textu determinauerint quodam signo: ut adeo circellus iste multo potius sit signum criticum, quod doceat lectorem, opus sibi esse, ut notam marginalem consideret. Quae, quid sibi velit, paullo post adiiciemus. Alioquin in partes transgredi facile posset alias, qui nonnullas editiones adspicit, v. c. HOOCHTIANAM, in qua circellus, in istorum versuum medio positus, formam habet aliis Masorethicis maiorem. Confirmo autem meum adsertum, (nam a doctissimis grauissimisque hac illaue in re testibus qui non dependere velit, quis est, quaeso?) testimonio Magnif. et S. V. CHRIST. BENED. MICHAELIS, de omni philologia sacra in primis meriti, praeceptoris deuota mente aeternum colendi, quem ea eximia, qua pollet, doctrina in omnibus scriptis a se studiosissime perlustratis codicibus, circulum loca piskata indignantem aequalis esse

esse cum reliquis Masorethiis circellis magnitudinis docuisse me, animo fateor gratissimo.

Ergo restat solius notae פסקא באמצע פסקא consideratio, ex qua non ita multum argumentari posse KENNICOTVM, perspicuum est, quam primum ad veram eius significationem mentem aliquantisper direxerimus attentam. Vocabulum autem פסקא, quod neutrquam circuli nota ✻ est, deriuatur a verbo Chaldaico פסק, quocum arctissime cohaerent notiones: *sequitur, scidit, abscidit, diuist, cessauit, finem habuit, absolutum est*. Vnde deriuantur, vt alia quam plura taceam, aceruatim enumerata ab EDM. CASTELLO in Lex. heptagl. p. 3031. Hebraice flexum פסקא atque Chaldaice פסק, atque nomen פסק, cuius status emphaticus est פסקא. Nemini vero omnium criticorum regulae praecipunt, vt circa deriuatorum vocum potestates occupatus a primitiui notione primaria simplici debeat recedere. Sunt ergo a voce פסקא significationes *sensus defectiui, abruptionis*, quae KENNICOTO p. 336. mirum in modum placuerunt, quam longissime remotae: quum non solum huius vocabulorum *τερας*, vocis inprimis פסק, formae sint omnium simplicissimae; sed singulae etiam textus Hebr. sectiones minores פסקים vocentur, quorum fini duo puncta adposita פסק סוף audiunt, פסק vero emphaticum *cessationem, intercisionem, tardiores duarum vocum*, quibus haec est interposita lineola, *pronunciationem* denotet. In grammaticis tamen haerentibus nobis non obstat, quod Targum vocem חרץ Leuit. XXII. 22. per פסקא verterit, vbi *mutilum membrum* denotat, quum prima radice חרץ notio sit: *sequitur*, atque verborum *secandi* significationes esse omnium maxime multiplices, vnicuique sit quam notissimum. Iam cum hisce qui vocabulum פסקא contulerit, nullum inueniet modum, quo cum KENNICOTO possit *abruptionis, defectus, clarissime imperfecti defectiuique sensus* notam ei tribuere. Quare potius haec verba: פסקא באמצע פסקא nihil aliud, nisi hoc prae se ferunt: *Finis, spatium, segmentum est in medio versus*. Quod quam accurate cum spatii vacui ante exposita conueniat notione, perspectu esse facillimum arbitror; addendo, amice conspirare Syrorum — עם cum Chaldaeorum פסק. Vnde factum est, vt Graecorum περιεχων, *comprehensionem*,

tionem, ambitum, textum, segmentum textus biblici, Syrus Act. VIII.
32. per לִפְנֵימָּה fuerit interpretatus.

Qui vero nexum necessarium inter spatium atque notam esse perspexisse credunt, animo ad illud, cum omnibus reliquis textus Hebraici spatiis comparatum, fuerunt quam vigilantissimi, omnino similia inter se eiusmodi esse spatia non abs re iudicantes. Exstant autem per integrum codicem nulla, praeter quam פסוקים vocata, atque designata per Sillukum cum duobus istis punctis פסוק סוף dictis, atque eorundem in certum numerum congestiones, quarum enumeratio esset superflua. Ipsum adeo non dubito KENNICOTVM prius, quam rei omnis ambitum perspexerit, nihil aliud iudicare potuisse, nisi quod spatium hocce significet vnius commatis finem, a quo spatium protenditur ad alterius commatis initium, ipsique conueniat hoc in momento, vt in omni fere critices studio, ex rei similitudine concludere. Quare nihil obstat videretur, quo minus in omnibus hisce locis, spatium medio illorum interiectum *diuersam*, qua nunc et postea vti licet, *versculationem* indicet: vt scilicet, quum vnus alterue codex loco Atnachi habuerit Sillukum cum fine versus, alii vero libri scripti minus, Iudaici descriptores per spatium signare voluerint; qua certe methodo nihil ab ipsis inueniri poterat praestantius. Ita vero KENNICOTI contra textus Hebr. Gen. III. 8. integritatem argumenta in medium prolata sua sponte diffluere putamus.

§. V.

Breuior iam nobis occurrit circa loca Gen. XXXV. 22. et 1 Reg. XIII. 20. occupatio, ex omnium confessione pro locis piskatis habita. Atque adeo non est, quod ante §. III. ad Gen. III. 8. dicta pluribus repetamus; certo certius, si id fecerimus, inutile foret. Restant, quae ad vtrumque locum esse monenda videntur, paucissima.

Ac primo quidem, quod argumenta KENNICOTI p. 355. seq. super Gen. XXXV. 22. attinet, nihil, qui in illo ipso loco inspiciendo est circumspexerit, inueniet, quod ex Cap. XXXVIII. 4. qui locus ad realem,

realem, minime vero ad verbalem parallelismum spectat; ex quo ad interpositionem commatis valeret consequentia, vel ex unica τῶν LXX. versione, hoc autem loco a textu Samaritano dissentiente, contra omnium codicum atque reliquarum versionum consensum, interponi debere huic versui suadeat comma, quod Graece ita se habet: καὶ πῶς ἐφάνη ἐναντίον αὐτῶν. Patet ex accentuum potius consecutione, (punctis autem magnum nec contemnendum usum KENNICOTVS p. 329. seq. tribuit), adfert §. III. de diuersa versificatione veritas. Quem, inquam, qui inspicit, facile intelligit, potuisse in aliis codicibus post וַיִּשְׁמַע יְיָ בְּנִי יַעֲקֹב שְׁנֵים וַיִּרְרֵי cum versu 23. magis sit connexum: id quod duplex huius commatis accentuatio necessario flagitat.

Alter locus 1 Reg. XIII. 20. ex iisdem piskatis, ex sola versione Arabica, vt KENNICOTVS p. 464. censet, pro defectiuo quoad sensum haberi nequit, vt ita postmodum fluere: *Et accidit, quum adfiderent mensae, atque ederent, vt colloqueretur Deus* cet. Quaedam videtur adesse diuersae versificationis ratio: vt adeo in quibusdam codicibus comma אל השלחן וַיִּרְרֵי הָרֶבֶץ וַיִּשְׁמַע אֱלֹהִים ob arctiorem nexum cum versu 19. huic coniunctum fuerit, quum postmodum rectius finiit versus 20. initium. Arabis autem solius additamentum paraphrasticum est certissime superfluum. Nam cum phrasi: *Adsidere mensae* non solum, sed sola etiam voce שלחן in sacra scriptura saepenumero cohaeret *epuli, conuiuii* notio, atque comma addendum ταυτολογίας prae se culpam ferret a textu sacro alienissimae, quum proxime ante hoc edentium bibentiumque iniecta fuerit mentio.

✠ ✠ ✠

Opiner autem, ita me posse finem scriptioni imponere, nisi quaedam supersint, quae, quum antea KENNICOTI opinandi et sentiendi consuetudinem non adfuerim secutus fuerim, sequi tamen hac occasione eius diligentiam atque laudabile studium in perlustrandis aliquibus codicibus adhuc superstitis videri poterunt. Trium autem brevissimis addo codicum Hebraicorum punctatorum in membranis in folio maiori

maiori scriptorum notitiam, quos in bibliotheca vrbis patriae ad templum S. Mar. Magdal. haud inuito huic praefecto dignissimo, qui mihi est honoris causa nominandus, IOH. CASP. ARLETIO, V. Doctiss. Celeb. Gymnasii ad eandem aedem Rectore, auunculo meo omni pietate colendo, inspicere licuit.

Primum exemplum est praestantissimum elegantissimumque, cuius breuem notitiam suppeditavit ANDR. ACOLVTHVS in Philolog. de aquis amaris p. 159. et 194. seq. 249. seq. et ex eo longe Celeb. IOH. SIMONIS in Introd. ad lingu. Hebr. p. 256. itemque LE LONG in Bibl. sacr. p. 55. edit. Paris. Ille codex habet folia 454. in quaterniones diuisa, pura atque nitidissima, quae quadratis literis sibi bene similibus exhibent a fol. 1. v. a. 205. inscriptum Pentateuchum, cuius singulos versus excipit Targum ONKELOSI; illum autem sequuntur a fol. 206. ad 241. Haphtharae, quarum quidem vltima desumpta est ex 1 Reg. VIII. 54. ad VIII. 5. atque Hagiographa a fol. 242. ad finem usque, ordine tamen alio, quam qui est in impressis. Namque primum adparent quinque Megilloth hac serie: Ruth, Cantic. Eccles. Threni et Esther, posthac libri metrici ordine דָּנָן, denique Daniel, Esra cum Nehe-mia, atque Libri Paralip. quibus omnibus, quod debet, Targum interpositum est. Quaelibet pagina est in tres columnas dispescita, praeter Alphabetum illud magnum, Ps. scilicet CXVIII. qui duabus tantum gaudet; libri vero metrici atque segmenta poetica שִׁירָה exarata sunt. Masora parua adiecta est copiose per totum plane librum cum magna, quae fere semper in extremitate paginae, superiore nimirum duas, inferiore vero duas lineas occupat, variis ductibus eleganter ornata, cuius character fere cum notarum marginalium in edit. HOOGHT. conuenit, exaratus ab eodem, qui punctauit, scriptore diligentissime, sibi que semper aequalis, atramento autem Masorae atque punctorum, ac ipsius textus, paullo pallidiori. Finalis vero tum post Pentateuchum, tum in fine Hagiographorum, miris atque cum cura geometrica ordinatis ductibus exstat scripta. Voces singulorum librorum initiales quartam, plurimum autem tertiam paginae partem, rectangulis inclusae, auro pictae variisque circumseptae coloribus, implent. Praeterea non vacat addere verba, ad finem totius codicis adiecta, vtpote quae exstant in

neuen Bücherfaal der gelehrten Welt 12 Oeffnung p. 956. vbi tamen mendose pro זה הספר impressum est זה cet. At enim vero, vt meae commentatiunculae rationem habeam, hoc in codice A. 1238. scripto, in loco Gen. III. 8. tam in textu, quam in vers. Chald. neque spatium, neque circellus, neque vestigium vllum in Masora exstat. Ita quidem amice noster codex conspirat cum Castellano, fute descripto a T. GEORG. SCHIEDE in Biga Obs. sac. Obs. I. a p. praesertim 154. qui liber prodit Bremae et Lipsiae A. 1748. forma octaua. Ingenue tamen fateor, multas mihi subinde dubitationes exortas fuisse, quae causae sunt, cur a V. Doctissimi defensione loci huius ex historiae Moisaicae nexu petita modeste recedam. Genes. tamen XXXV. 22. spatium adest, sed sine circello, nulla tamen loci piskati in Masora exstat commemoratio. Vfus autem טו ו' ק' et כ' per totum librum est promiscuus, neque librarius maiuscularum vel minuscularum literarum discrimen semper respexit. Pauca vt addam, eandem cum reliquis magnitudinem habent v. g. ה Gen. II. 4. ז Gen. XXXIII. 31. י Num. XXV. 11. Deut. XXXII. 18. כ Gen. XXIII. 2. ל Leuit. XI. 30. Deut. XXVIII. 27. מ Gen. L. 23. Leuit. VI. 2. נ Exod. XXXIII. 7. ס Num. XIII. 30. פ Gen. XXX. 42. צ Deut. XXXII. 4. ק Gen. XXVII. 46. ש Esther. VIII. 9. ח Esther VIII. 7. id quod obseruatum quoque est in literis maiusculis vocum initialium, puta א Leuit. I. 1. et י Paral. I. 1. ב Gen. I. 1. vt literarum suspenfarum atque inuersarum varietatem taceam. Illa enim ג inuersa ex hoc plane codice exfulant. In loco Deut. XXVIII. 28. vocabula illa punctata scripta sunt hoc modo: לְהַכְלִיחַ לְנֶפֶשׁ צֶדֶק וְלִבְנֵי יִשְׂרָאֵל cet. atque Num. VIII. 10. לְהַכְלִיחַ לְנֶפֶשׁ צֶדֶק וְלִבְנֵי יִשְׂרָאֵל punctis etiam reliquis exceptis. Nomen caeterum יְהוָה mox plene, iterum autem sic יי vel יי vel יי scriptum est tum in textu, tum in primis in versione Chaldaica.

Secundum volumen satis antiquum duos proprie codices continet. Quorum primus foliis 232. iisque quaternionibus inscriptos habet sine Targum Prophetas priores et posteriores ordine iusto, excepto, quod Ieremias antecedit Iesaiam. Conf. S. V. MICHAELIS Disf. de nomin. diuis. et ord. libror. sac. V. T. §. 25. atque Proleg. in Ierem. §. 4. Altera folii 232. pagina plena est versiculis hinc et inde ex historia

ria

ria praesertim Iosephi excerptis in scriptoris פתח צדק יוסף laudem, qui testatur se scripsisse זה עשרים וארבעה: sine dubio scilicet scripsit librarius Pentateuchum etiam, ac omisissis Hagiographis, V. Mosis libros connumeravit, anno ה' ארפים וס' h. e. 5060. secundum computum maiorem, quocum conuenit A. p. C. N. 1300. Qui codicem inspexerit ipsum, loco ה inueniet quidem ד, ut in animum suum inde posset inducere, A. 1200. scriptum eum fuisse. At membranam accurate considerans inueniet, lineolam, quae ה a ד distinguit, erasam esse a quodam antiquitatis nimium studio. Character quadratus membranis minus elegantibus inscriptus, (quippe multorum in manibus codex olim fuit,) textus nimirum in tres semper columnas diuisi, Masorae etiam a textus ipsius scriptore sine dubio exaratae, non ita pulcher est, et ob aetatem factus pallidior, in Masora lectu difficilis. Sine omni ornatu voces initiales librorum maiori forma exstant scriptae. In hoc autem codice comma illud utrumque Ios. XXI. in ipso textu legitur, quod esse genuinum docuerunt I. G. ABICHT in peculiari Diss. Lips. A. 1714. habita, atque collector var. lect. in Bibl. Halens. studiosissimus. Nullum autem exstat loci piskati indicium, tum, quod obiter addo, Iud. II. 1. tum etiam 1 Reg. XIII. 20. ad quem nullum adparet Masorae vestigium. Praeterea lectionum ק, quae in ipso textu saepissime exstant, et פ, item literarum singularis formae varius est usus adhibitus.

Secundus autem codex, ab alio, ignoto quidem, tempore vero non multum ab anteriori diuerso scriptus est, quod ex non ita crasso charactere patet, licet in reliquis ipsi sit simillimus. Continet autem foliis 113. tam libros poëticos ordine חומה et סיגמא scriptos: quo de ordine certe singulari conf. S. V. MICHAELIS cit. Diss. §. 38. quam libros Paralip. Daniel. et Efram cum Nehemia. Vocum autem initialium forma est maxima.

Tertium superest volumen, quod breuiter recensent LE LONG p. 58. WOLF. l. c. p. 321. Auctores des neuen Bücherlaals l. c. Continet autem foliis 392. in quaterniones partitis membranarum purissimis inscriptum textum Prophetarum priorum et posteriorum, quos sequuntur libri metrici סיגמא scripti ordine eodem singulari חומה, atque Daniel

niel, Esra cum Nehemia, atque libri Paratip. Aetas huius codicis, (scriptus autem sec. XIII. videtur,) non patet ex ultimis scribae verbis, quae exstant in neuen Bücherfaal l. c. ubi male לאל pro לא atque יי pro יי est impressum. Character purus est, isque quadratus. Masora parua copiosa adest, magna in primis insolitis animalium figuris inclusa, utraque vero cum finali ab eodem forte textus et punctorum scriptore exarata, quod ex atramento facile videre est. Initiales voces librorum maximo scriptae sunt caractere. Possedit olim codicem hunc ELIAS HVTTERVS A. 1587. ut ipse adscripsit, qui et per totum fere librum rubro colore capita numeravit, rarissime correxit ipsum, atque hinc et inde notatu dignas, in primis ratione accentuum, adiecit notulas. Interim in hoc codice 1 Reg. XIII. 20. spatium satis magnum exstat, sine circello tamen et Masora. Numquam scriptor literis suspensis atque maiusculis vel minusculis usus est, promissive vero lectionibus פֶּת כֹּ, atque matribus illis lectionum אִמֵּי.

Quibus ex paucissimis nemini non patebit, hanc codicum תפארת esse dignissimam, quae adcuratius in sacrae critices emolumentum, a qua, recte modo instituta, nequaquam textus Hebraici integritas abhorret, evoluatur.



90 A 21

1078

Bibl. der Franckeschen Stiftungen Halle



Ha33\$0159875

